



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 86. Titulus VI. De invocatione Sanctorum diebus festis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. *commercia, & convivia adversentur, &*
A.C. 1584. *fugiant.*

Canon II. *Hæreticis Ecclesiarum a-*
ditus, nisi causa audiendæ prædicationis,
non concedatur, neque sepultura Christiana.

Canon III. *Ad hæreticorum conven-*
ticula nemo Catholicus accedat: qui secus
fecerit, si clericus, excommunicetur, & de-
ponatur: si laicus, violatæ Religionis reus
censeatur.

§. LXXXVI.

Titulus VI. De invocatione Sancto-
rum, & diebus festis.

Septem Canones sextus titulus de in-
 vocatione Sanctorum, festisque die-
 bus exhibet, & quidem Canon I. ita
 incipit: *Colantur sancti, & dies festi San-*
ctorum piis orationibus, psalmis, & hym-
nis, & frequenti Missæ, & solemnibus offi-
cii celebratione, & verbi Dei prædicatione.

Canon II. *Doceant prædicatores ve-*
rum cultum Sanctorum tanquam Servorum
Dei, qui tamen jam æterna beatitudine
fruuntur, pro mortalibus orant, & pre-
cibus suis populi votis apud Deum favent.

Canon III. *Concionatores abhor-*
reant aniles fabulas, & quæ potius profana,
quam Dei Sanctis convenientia, quæque in-
firmiss offendiculo esse possint, nec quidquam
pro historia Sanctorum proferant in me-
dium, nisi quod ab Ecclesia Catholica re-
ceptum

ceptum sit: scandala autem, calumnias, & Sæcul. XVI.
 detractiones non effundant: si contra fe- A.C. 1584.
 cerint, ab Episcopis extraordinarie pu-
 niantur.

Canon IV. Meminerint Christiani
 omnes septimum diem a Deo institutum,
 & consecratum, nec tantum a Judaico
 populo, sed ab omnibus, qui Deum co-
 lunt, receptum, & celebratum esse, Christia-
 nos autem diem Dominicum pro Sabbatho
 recepisse: Dominico ergo die cessent sæ-
 cularia opera, sit sacrum institutum, ces-
 sent lictores, sileat præconis tuba, vectu-
 ræ, omnes negotiationes, contractus, no-
 tatorum instrumenta: nisi quæ ex necessi-
 tate testamentorum, aut matrimoniorum
 causa differri non possunt: sit quies animi,
 & corporis sancta, & ad Deum levata
 mens, & a terrenis abstracta: satis sint
 Christiano opera charitatis, orationes piæ,
 psalmi, hymni, & cantica.

Canon V. Præter dominicum diem
 dies festi solennes, qui ad memoriam ma-
 gnalium Dei instituti sunt, & beatæ Ma-
 riæ Virginis, Apostolorum, Martyrum,
 aliorumque Sanctorum honorem ab Eccle-
 sia recepti sunt, observentur religiose.

Canon VI. Prohibetur populus pro-
 fana Sodalitia, & comessationes, choreas,
 tripudia, larvas, & theatrales ludos,
 iisdem diebus festis exercere, pompas in-
 strumentorum Musicorum, & tympanorum

Sæcul. XVI. A. C. 1584. *in gestationibus imaginum per vias, & compita exhibere: & si quid aliud olim sanctorum invocationibus adversariis ansam maledicendi præbuit: a cauponis abstineant, & nihil, nisi quod pietatem redoleat, exercent. Imitentur Christiani totis hisce diebus sanctos illos, quorum memoriam colunt, per opera charitatis.*

Canon VII. *Curabunt Episcopi, quoad fieri poterit, ut dies festi Sanctorum a populo non amplius varie, sed una, & eadem forma celebrentur: discernantur autem, qui a Clero tantum, & qui a populo coli debeant.*

§. LXXXVII.

Titulus VII. De Peregrinationibus.

Labb.
pag. 1076.

Septimus titulus de peregrinationibus ex pietatis studio susceptis agit, tresque Canones præscribit. Canon I. *Nemo Clericorum sancta loca visitare præsumat, nisi impetrata a proprio Episcopo, aut ejus Vicario in scriptis licentia.*

Canon II. *Præmuniantur debita, & integra peccatorum Confessione, & Eucharistice Sacramento, quicumque ad loca sacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur.*

Canon III. *Nemo ad loca sancta peregrinetur explendi, ac delectandi animi causa, aut perlustrandi oppida, & varia loca,*